

TITULUS XXVI.

DE MALEDICIS. ^a

148. *Nota.* Maledictum esse malum sermonem de alio: cujus tres sunt species. *Blasphemia*, dum quis malè loquitur de Deo vel Sanctis, sive affirmando, quod Deo non convenit, ut quòd sit crudelis; sive negando, quod ei convenit, ut quòd non sit providus; sive imprecando malum Deo, v. g. ut pereat, punire non possit; sive indecentia verba in Deum et Sanctos proferendo, ut contemptim dicendo Christum esse fabrum, vel B. ejus Matrem non esse Virginem etc.; vel denique creaturæ attributum divinitatis attribuendo, v. g. dæmonem esse omnipotentem etc. Dum error hæresis miscetur, vocatur blasphemia qualificata; secùs, blasphemia simplex. Vide S. D. 2. 2. q. 13 et 14.—Altera species est *detractio* seu mala locutio de proximo absente.—Tertia est *contumelia*, seu mala locutio de proximo præsentem; ut si quis in faciem ei objiciat, quòd sit fur, adulter, illegitimus etc. Vide S. D.

149. Q. I. *Quæ sit pœna blasphemantis?*

R. 1.º De jure div. *Lev. 24. c. 16.* fuit lapidatio: de jure civ. blasphemi in Deum puniuntur morte vel mutilatione: blasphemi in Sanctos fustigatione, linguæ sectione etc., quæ tamen pœnæ mitigantur, si blasphemia indeliberatè prolata est, nisi prolata fuisset ex ira ob officium justè perditum, vel pecuniam in lusu amissam (Clar., Menoch., Farin.)—2.º De jure Can. clericus blasphemus deponetur, laicus excommunicabatur (*Can. 10. si quis 22. q. 1.*); deinde jure Decretal. indicta est pœnitentia publica et mulcta pecuniaria, ut describitur *c. fin. h. t.* Hodie plerùmque particularia statuta observantur, quia Const. Leon. X. incip. *Supernæ*, Julii III *In multis*, S. Pii V. *Cum primum*, non sunt usu receptæ.

150. Q. II. *Quæ sint pœnæ maledicentis Principi?*

R. 1.º Si quis Papæ vel Imperatori ex levitate, insania aut temulentia maledixerit et injuria vergat præcisè in personam eorum, convenienter ab utroque injuria remittitur ad imitationem mansuetudinis Christi (*Can. 27. int. 23. q. 4. l. un. C. si quis Imp. maled.*) Idem faciet Episcopus et prælatus regularis, ut personalem injuriam maledicenti subdito mansuetè remittat (*cit. Can. 27., et l. 10. de Episc. et Cler.*), ubi

^a—Agitur de hac materia in Decreto *dist. 46. et 24. q. 3. sparsum.*

tamen judici laico præcipitur, ut injuriam Episcopo illatam vindicet, *nec expectet, ut Episcopus injuriæ propriæ ultionem deponat, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit.* Exemplum est in Sancto Pio V. qui auctorem famosi criminis in se conficti liberum dimisit.—2.º Si maledictum redundet in Sedem apostolicam vel majestatem, vel seditio aut aliud grave malum immineat, locus est pœnæ arbitrariæ pro qualitate delicti, cum certa non statuatur (*c. 1. h. t., et Can. 24. d. 63., et Can. 30. Guilifarius 23. q. 4.*)

151. Q. III. *Quæ sit pœna maledicentis privato?*

R. Clericus, maxime sacerdos, in proximum maledicus, olim cogebatur ad petendam injuriæ veniam: secùs degradabatur, hoc est, suspendebatur usque ad satisfactionem præstitam (*Can. 5. d. 46.*) Hodie maledici tenentur actione injuriarum, et palinodiæ seu recantationis (*l. 15. §. 27. ff. de injur.*)

152. Q. IV. *An maledictum sit mixti fori?*

R. Affirmativè, excepta blasphemia hæreticali, quæ pertinet ad cognitionem solius judicis ecclesiastici: licèt de consuetudine etiam laicus punire soleat tales blasphemos.

TITULUS XXVII.

DE CLERICO EXCOMMUNICATO, DEPOSITO VEL INTERDICTO
MINISTRANTE.

153. Q. I. *Quæ sit pœna clerici censura irretiti exercentis actum Ordinis sacri?*

R. 1.º Pœna est depositio ab officio et beneficio per sententiam infligenda (*c. 4. h. t.*), licèt Episcopus, si velit, possit prius monere reum (*c. 3. h. t.*)—2.º Est privatio beneficiorum, et quidem ipso jure (*c. 6. h. t.*)—3.º Est irregularitas ipso jure et facto incurrenda: ita disponitur de excommunicato *Can. 6. et seq. 11. q. 3. c. fin. h. t.*; de suspensio *c. 9. h. t. c. 1. in fin. de sent. et re jud. in 6.*; de interdicto personaliter *c. 18. §. fin. et c. 20. de excom. in 6.*, dummodò censuratus exerceat actum proprium Ordinis, et temerè sine urgenti causa: secùs non fit irregularis; quia pœna irregularitatis lata est in temerarium violatorem censuræ *Can. 6. si quis 11. q. 3. c. 1. §. fin. de sent. et re jud. in 6.* ibi: *Damnabiliter ingesserit se divinis.* Unde non fit irregularis:—I. Qui in censura suscipit ordinem, licèt suspendatur (*c. 1. de eo, qui furtiv.*); qui matrimonio assistit, sed illud non benedicit; qui absolvit à censuris vel dispensat in votis, modò id fiat sine stola; qui baptizat privatim, non solemniter; qui canit Evangelium sine stola, et epistolam si-

ne manipulo etc.; quia in his casibus non exercetur actus proprius Ordinis.—II. Qui in extrema necessitate exercet actum ordinis, v. g. absolvendo moribundum, vel si excommunicatus toleratus ex officio suo ad instantiam petentis conferat sacramentum; quia in his casibus temere non exercet actum ordinis.—III. Excusatur ab irregularitate, qui ignorat se esse censuratum (*c. 9. h. t.*); qui metu gravi injusto adigitur, vel timore propalandi delicti, infamiae et scandali inde secuturi, exerceret actum ordinis; quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto incommodo. Item si sententia est evidenter nulla, vel si reus contra illam appellavit, vel si est parvitas materiae: ut si sacerdos censuratus in horis can. dicat: *Dominus vobiscum*. Denique si justa causa excusat à mortali, sine quo poenalis irregularitas non incurritur.

2.^o Si actus ordinis ex defectu intentionis est invalidus, probabiliter non incurritur irregularitas; nam actus iste, etiam ut procedit à tali agente, non est usus ordinis, sed fictio, licet in foro externo habeatur pro irregulari. At si actus ex alio capite, v. g. defectu materiae fuit invalidus, locus est irregularitati; quia verè violatur censura; et exercetur ordo, licet per accidens invalidè. Similiter, si sacerdos censuratus distribuat Eucharistiam, vel suppleat caeremonias baptismi, probabilius fit irregularis; cum distributio Eucharistiae et suppletio caeremoniarum per se pertineat ad officium sacerdotis.

3.^o In dubio an censura lata sit, exercens actum ordinis, post sufficientem veritatis inquisitionem, non fit irregularis; quia temerè non violat censuram, licet ad cautelam absolvi debeat (*c. 5. h. t.*) Ast in dubio, an censura sit valida vel invalida, debet se gerere pro censurato, et sub poena irregularitatis nequit exercere actum ordinis: ità com. arg. c. 5. h. t. c. 40. de sent. excom.; quia sententia pastoris, sive injusta fuerit, est timenda (*Can. 1. sententia II. q. 3.*)—Nec prodest appellatio, quia ista non parit effectum suspensivum, sed devolutivum, ut dixi *tit. de appell.* Hactenus dicta non habent locum in casu excommunicationis minoris; quia hac irretitus, exercendo actum ordinis, non fit irregularis, ut dicitur *c. fin. h. t.*

154. Q. II. An censuratus exercens actum Ordinis minoris fiat irregularis?

R. Affirmativè de rigore juris, quod non distinguit inter actus majorum et minorum ordinum, ut declaravit Sixtus V. Const. incip. *Sanctum* 1588. Non. Jan. Hodie vix unquam irregularitas ista incurritur; quia actus minorum ordinum non aliter peraguntur à clericis, quàm secularibus.

155. Q. III. Quae sit poena clerici depositi, in ordine ministrantis?

R. Excommunicatio ferendae sententiae (*c. 1. et 2. h. t.*), et si monitus se non emendaverit, tanquam incorrigibilis plectendus est exilio (*cit. c. 2, h. t.*), et tandem degradatione (*c. 10. de judic.*)

TITULUS XXVIII.

DE CLERICO NON ORDINATO, MINISTRANTE.

156. Q. I. Quae poena sint clerici ministrantis in ordine non suscepto? ut si sacerdos simplex confirmet, Ecclesias consecret, aliosque actus ordinis episcopalis exerceat, vel si diaconus missam legat, minorista epistolam et Evangelium solemniter canat cum maniculo et stola etc.

R. 1.^o Poena est excommunicatio ferendae sententiae (*c. 1. h. t.*)—II. Suspendio ad biennium vel triennium ab ordine ultimo suscepto (*c. fin. h. t.*), quae suspendio in hac materia poenali non porrigitur ad alios ordines.—III. Irregularitas partialis, ne clericus iste ad superiores ordines promoveri possit (*c. 1. 2. h. t.*); si verò clericus exerceat actum ordinis, à quo suspensus est, fit plenè irregularis, ut *tit. preced.* dictum.

Requiritur autem ad hanc irregularitatem, ut clericus scienter et temerè exerceat actum ordinis non suscepti; *c. 1. h. t.* ibi: *propter temeritatem*; adeoque simplicitas et ignorantia excusat illum ab hac poena. Censetur autem ordo non susceptus etiam ille, qui susceptus est invalidè seu cum defectu substantiali. Hodie, cum in minoribus ministrare laici possint, vix unquam irregularis fiet clericus exercens actum alicujus ordinis minoris non suscepti.

2.^o Clericus exercens actum ordinis non suscepti, etsi non habeat intentionem illum exercendi, fit tamen irregularis: ità Suar., Reiff. et alii contra Tabien., Navar., Bonac., Hurtad. etc. Nam jus indistinctè loquitur de clerico non ordinato ministrante: imò is ex defectu potestatis nec potest habere intentionem istam: et aliunde poenae istae eluderentur per hoc, quod quisque dicere potest, se non habuisse intentionem seriam ministrandi in ordine non suscepto, nisi ex adjunctis constet jocum fuisse, vel scenicam representationem; secus actus externus seriò positus, tanquam sacrilegus substat his poenis.

Dices: Rebaptizans sine intentione, non incurrit irregularitatem, ut com. docet; ergò à pari.

R. *N. C.* Nam irregularitas ex rebaptizatione lata est occasione haereticorum, in quibus supponitur animus rebaptizandi: at in nostro casu irregularitas statuta est contra clericos sacrilegè ponentes actum ordinis, quem non susceperunt.

157. Q. II. *Quas pœnas incurrat laicus exercens actum Ordinis sacri?*

R. 1.^o Si missam celebret, vel sacramentales confessiones audiat, tanquam reus gravissimi sacrilegii et suspectus de hæresi, ab Inquisitoribus et Ordinariis locorum judicari, et velut idolatra et falsarius Curia secularis tradi potest et debet, ex Constit. Clem. VIII. incip. *Etsi alias*: at irregularitatem ipso jure non incurrit; quia irregularitas ista nec est expressa in cit. constitutione Clem. neque *hoc tit.* loquente de solis clericis ministrantibus in ordine non suscepto.

Ex Constit. Bened. XIV. *Sacerdos in æternum*, 20 Aprilis 1744 missam celebrans ad presbyteratus Ordinem non promotus, Curia seculari tradendus est, etiam pro prima vice, prævia degradatione, si alium Ordinem susceperit, quamvis unam tantum missæ partem celebraverit; si tamen elevationem Hostiæ vel Calicis, seu utriusque peregerit, etiam non prolata consecrationis forma. Nec privilegium ætatis minoris annis viginti quinque ei suffragatur, quin condignis pœnis à Curia seculari afficiatur; dummodò vigesimum annum expleverit juxtà ampliationem factam ab Urbano VIII. Constit. *Apostolatus officium*, quæ hic innovatur. Si verò elevationem non peregerit, mitiori pœna damnari permittitur.

Eisdem pœnis subjiciuntur confessionem sacramentalem audientes, non promoti ad presbyteratum, si absolutionis formam protulerit, etiam pro prima vice.

Præterea statuitur, quod licet delictum celebrationis missæ non satis plenè probatum dici possit ad effectum deveniendi ad realem delinquentis traditionem brachio seculari, quando testes inducti in suis quique depositionibus singulares dignoscuntur: nihilominus indicia per hujusmodi depositiones acquisita satis relevantia judicari debeant, ut reus tormentis subjiciatur ad eliciendam veritatem. Fisci verò intentio satis probata intelligatur, si ex extrajudicialibus litteris Ordinariorum rei constet, hunc ad presbyteratus Ordinem non fuisse promotum: cui tantum incumbere debeat onus concludenter probandi, se fuisse promotum.

Ex alia ejusdem Bened. Const. *Divinarum* 4 nonas Aug. 1757. prædictis reis non amplius suffragatur, ut olim, sincera hujusmodi delictorum à se patrorum confessio facta judici, cum primùm ab eo interrogati fuerint, an sciant, qua de causa carceribus inclusi sint, ad obtinendam promerita pœnæ minorationem, scilicet triremium et carceris in perpetuum loco mortis, sed omninò tradi debent, servatis servandis, brachio seculari, capitali pœna puniendi. **

TITULUS XXIX.

DE CLERICO PER SALTUM PROMOTO. ^a

158. Q. I. *An clericus per saltum validè ordinetur?*

R. Affirmativè, excepto episcopatu; quia essentialiter præsupponit sacerdotium, cum illis sit ultimum complementum. Inter ceteros autem ordines non datur essentialis ista connexio et præhabito, sed qui illicitè suscepit sacerdotium, debet deinde reliquos inferiores ordines suscipere; nec priùs ei licet in ordine per saltum obtento ministrare.

159. Q. II. *Quæ sit pœna clerici per saltum promoti?*

R. 1.^o Suspendio, vi cujus clericus nequit in ordine per saltum suscepto ministrare, nec ad superiores ordines ascendere, nec omissum ordinem sine dispensatione recipere: quæ suspensio ipso jure et facto incurritur, ut com. docet, contra Turrecr., Archid.; quia Trid. *S. 23. c. 14. de refor.* dat Episcopo potestatem dispensandi cum promotum per saltum, ut priùs recepto inferiore ordine, valeat ministrare in ordine per saltum suscepto; ergò Trid. supponit suspensionem istam ipso jure incurram fuisse. Et hoc sensu explicatur *c. un. h. t. ibi: à sacerdotali officio illum prohibeas*, seu declares prohibitum. Eandem suspensionem ex declaratione S. Cong. Conc. incurrit suscipiens minores ordines absque prima tonsura; quia ista est saltè necessaria ad ordines dispositio, reddens subjectum capax licitæ ordinationis. Secus est, si omitteretur Confirmatio, quæ de sola congruitate prærequiritur ad ordines; et aliunde nomine ordinum non venit.

2.^o Episcopus ex Trid. *S. 23. c. 14. de refor.* dispensare potest in hac suspensione, ut priùs suscepto omissio ordine, promotus per saltum ministret in ultimo ordine, si antea in hoc non ministraverit, sive ignoranter, sive scienter promotus fuerit, cum Trid. non distinguat. Econtra Episcopus non potest dispensare; imò probabilius nec Papa, ut non recepto inferiori ordine, recipiatur superior; quia ex institutione Christi ordines gradatim sunt recipiendi: neque Episcopus dispensare potest, si promotus in ordine per saltum recepto ministraverit, quia Trid. conditionatè loquitur, *si non ministraverit*. Si tamen delictum cum suspensione et irregularitate occultum sit, poterit in his Episcopus dispensare vi Trid. *S. 24. c. 6. de refor.* At promotus

^a—Agitur de hac materia in Decreto *Can. un. d. 52. et Can. 2. et fin. d. 59.*—*Trid. S. 23. c. 2. de sac. Ord. et c. 11. et 14. de ref.*

per saltum non indiget ulla dispensatione ad ministrandum in prioribus ordinibus ritè susceptis; quia suspensio ista ad illos se non extendit, ut patet ex dictis, neque fit irregularis, cum id nullo jure caveatur.

TITULUS XXX.

DE EO, QUI FURTIVE ORDINEM SUSCEPIT.

160. Qui furtivè ordinem suscepit, hoc est, sine licentia Episcopi et prævio examine immiscet se ordinandis, aut eodem die duos sac. ordines suscepit, regulariter validè ordinatur, non obstante consueta protestatione Episcopi, quæ fit potius animo deterrendi, quàm non ordinandi, nisi expressa esset voluntas Episcopi eos non ordinandi. Unde regulariter furtivè ordinati non sunt reordinandi (c. 1. h. t.) Vide additionem lib. 1. tit. 12. post n. 150.

161. Q. Quæ sint pœnæ furtivè ordinatis?

R. 1.º Suspensio ab ordinibus ità susceptis (c. fin. h. t.)—2.º Suspensio, ne ascendat ad altiores ordines (c. 1. h. t.): non tamen irregularitas; quia clarè non colligitur ex cit. c. 1. Per accidens, si Episcopus sub excommunicatione prohibuit furtivam ordinationem, ità ordinati, utpotè excommunicati, exercere nequeunt ordines antea ritè susceptos.

3.º Dispensare in hac suspensione regulariter potest Episcopus, nisi furtiva ordinatio prohibita fuisset sub excommunicatione; quo casu dispensat solus Papa: Episcopus verò vel Prælatus dispensare potest cum eo, qui postea monasterium ingressus est (c. 1. 2. h. t.) In occulta suspensione dispensat Episcopus vi Trident. sess. 24. c. 6. de ref. Dispensatione non videtur opus cum eo, qui ignoranter, per vim aut gravem metum furtivè suscepit ordinationem; quia causæ istæ excusant à pœnis.

TITULUS XXXI.

DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM ET SUBDITORUM. ^a

162. Q. I. Qui sint excessus Prælatorum?

R. Plures enumerari h. t. et quidem:—1.º Si subditos gravent

^a—Agitur de hac materia in Sexto et Clem. h. t.—et in Decreto sparsim d. 86. et 2. q. 1.

indebitis oneribus, exactionibus, censuris non promeritis (c. 1. h. t.)—2.º Si illorum jura diminuunt, vel Ecclesias eis subjectas eripiant (c. 2. eod.)—3.º Si beneficia, quorum collatio ad subditos spectat, sibi retineant aut conferant (c. 3. eod.)—4.º Si beneficia conferant indignis (c. 11. eod.)—5.º Si aliquid præcipiant vel prohibeant contra privilegia apostolica: quo casu liberum est abbatibus seu regularibus, auctoritate apostolica quod petitur, denegare (c. 5. eod.) Nam Episcopi, utpotè inferiores, non possunt tollere privilegia apostolica, sed tenentur ea conservare (c. 16. de M. et O.); et ideò excommunicatio lata contra subditum, qui non paret contra privilegium, est ipso jure nulla (c. 7. h. t.) Alia gravamina Regularibus illata vide c. 16. et 17. et Clem. un. h. t.—6.º Si Prælati Episcopo minores Ecclesias propria auctoritate uniant (c. 8. h. t.), vel si, secluso privilegio, indulgentias concedant, publicas penitentias imponant, et alia Episcoporum propria exercent (c. 12. eod.) Ceteros excessus Prælatorum vide hic in textu.

163. Q. II. Qui sint excessus subditorum erga Prælatos?

R. Seqq.: 1. Si festa, interdicta et alias censuras ab Episcopo latas non observent; cum in his Episcopo parere etiam Regulares exempti teneantur (c. fin. h. t., Trid. sess. 25. c. 12. de Regg.)—2.º Si privati clerici sibi faciant commune sigillum, et alia collegii jura usurpent (c. 14. eod.)—3.º Si negent Episcopum esse suum pastorem, eumque trahant ad judicium seculare, aut invadant: pro quo excessu deponendi, officii et beneficii privandi sunt (c. 15. eod.)—4.º Si mutent sibi causam possessionis in beneficio: ut si vicarius sibi arroget titulum Rectoris principalis, ob quod tanquam perjurus et infamis ab executione officii amovendus est (c. 6. eod.) Alios excessus subditorum passim in jure reperies, uti etiam pœnas eis debitas.

TITULUS XXXII.

DE NOVI OPERIS NUNCIATIONE.

164. Titulus iste pertinet ad excessus prælatorum et subditorum, dum ædificant Ecclesias, domos et alia pia opera in præjudicium alterius; cujus delicto occurritur per novi operis denunciationem à jure civili tit. ff. et C. de N. O. N. introductam, et à sac. Canonibus receptam c. 1. h. t., ubi ponitur celebris illa regula: *Sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ità et sacrorum statuta Canonum principum constitutionibus adjuvantur.* Porro novi operis nuntiatio est: legitima prohibitio, ne opus aliquod extruatur, vel extractum immu-

tetur, aut in cœpta ædificatione aut mutatione procedatur, donec intra tres menses constet de jure ædificantis, vel eo nomine idonea cautio detur (*c. fn. h. t. l. 1. §. 11. ff.*; et *l. un. C. eod.*)

165. Q. I. *Quod dicatur novum opus nunciabile?*

R. Illud tantum, quod est *conjunctum solo*, novum simpliciter et *futurum*. Unde locum non habet nunciatio contra eum, qui messem colligit, arbores succidit, qui vetus ædificium reficit, pristinam ejus faciem seu formam non mutando, et qui absque prohibitione totum opus complevit (*l. 1. §. 1. 11. 12. ff. de operis nov. nunc.*) Adversus opus præteritum, seu jam factum et completum non competit hoc edictum seu interdictum, sed aliud *Quod vi, aut clam* (*cit. l. §. 1.*), nisi quis prohibitus, non impetrata nunciationis remissione nec data satisfatione, ædificaverit: tunc enim actor in optione habet experiri vel *interdicto de N. O. N.*, vel *interdicto quod vi, aut clam* (*l. 7. §. 2. ff. quod vi. aut clam.*)

166. Q. II. *Quis, et cui nunciare possit novum opus?*

R. 1.º Nunciare potest omnis, cujus interest, vel alius ejus nomine, ne contra jus illius ædificetur. Et quidem:—I. Si ædificium vergit in præjudicium boni publici, quilibet de populo nunciare potest (*l. 3. §. fn. et l. 4. ff. h. t.*), cum omnium intersit bono publico non noceri. Mulier tamen et pupillus, nisi specialiter eorum intersit, uti et infamis non admittuntur ad popularem actionem (*l. 5. eod. et l. 4. 6. de popul. act.*)—II. Si novum opus vergit in præjudicium boni privati, illud nunciare potest non tantum dominus directus, sed etiam vasallus, emphiteuta, superficiarius, creditor hypothecarius, vel eorum nomine filius, servus, mercenarius, procurator, negotiorum gestor, amicus; dummodò hi, non habentes mandatum speciale, caveant de rato: ità hæc omnia habentur *l. 1. et seqq. ff. h. t.* Pupillus saltè verbaliter nunciare nequit, ne alterum fateatur esse in possessione, nisi adsit auctoritas tutoris (*l. 5. pr. ff. eod.*); fructuarius non nuntiat, sed agit confessoria, ne impediatur in usufructu (*l. 5. §. fn. eod.*)

2.º Opus novum nunciari potest cuivis, etiam superiori, qui in præjudicium alterius illud molitur (*l. 8. pr. ff. h. t.*), sive iste sit dominus, sive dominum repræsentans, ut servus, fabri, opifices; item sive sit mas, sive fæmina, infans, furiosus, amens, modò aliquis in loco sit præsens, qui nunciationem factam intelligat (*l. 5. §. fn. eod.*), sive sacrum, sive profanum ædificet (*c. 2. h. t.*), sive non habeat, sive habeat jus ædificandi, si hoc non sit notorium (*c. 1. h. t. l. 20. §. 1. eod.*); nam si jus ædificandi habet, facilè apud judicem impetravit remissionem seu cassationem nunciationis ex interdicto (*tit. ff. de remissionib.*)

167. Q. III. *Qua forma fieri debeat nunciatio novi operis?*

R. 1.º Oportet, ut nunciatio fiat, vel *solo verbo* extrajudiciali, adversario prohibendo, ne ædificet vel cœptum prosequatur, vel *facto* significante prohibitionem novi operis, quod fit per *appositionem manus*: ut si lapides vel materiam ad ædificandum paratam dispergas,

lapidem jactes in opus cœptum, vel ex eo lapidem amoveas; dummodò per verba aut alia signa significetur per actiones istas fieri nunciationem novi operis; vel denique judicialiter petendo à judice, ut novum opus prohibeat; *l. 5. §. 10. ff. h. t.*, ubi etiam Ulp. dicit, si in nostro ædificetur, meliorem esse nunciationem judicialem per prætorem, et realem per jactum lapidis, quàm verbalem: quia verbaliter nuncians, fatetur adversarium esse in possessione.—II. Testes utiliter adhibentur, non quidem ad substantiam, sed ad faciliorem probationem factæ nunciationis.—III. Nunciatio facienda est in loco, vel prope locum, ubi intenditur extractio operis (*l. 5. §. 2. eod.*): de tempore non curatur, quia etiam die feriata opus novum nuntiari potest, et prætor adiri, ut de plano cognoscens, absque cognitione tribunalitia prohibeat novum opus.—IV. Proponi debet causa, ob quam nunciatur: putà conservatio juris nostri, quod opere novo læditur, vel aversio damni et præjudicii, quod ex opere novo timetur, vel defensio juris publici (*l. 1. §. 15. ff. eod.*)

168. Q. IV. *Quis sit effectus nunciationis legitime factæ?*

R. 1.º Obligatio non ædificandi, aut ab opere cœpto desistendi, donec causa discussa, constet de jure ædificantis et prohibentis (*l. 8. §. 4. ff. h. t.*) Unde siquis, non impetrata remissione, vel non præmissa satisfatione de ædificato destruendo, quæ locum remissionis tenet, novum opus ædificaverit, ante omnia tenetur illud destruere propriis sumptibus, et in pristinam formam reducere, ità ut non audiat voluntas dare cautionem de opere destruendo, si nuncians jus et interesse suum probaverit: ità de utroque jure *l. 20. pr. cum seqq. §§. ff. h. t. c. 1. 2. h. t.*, etsi postea appareat jus ædificandi fuisse; quia interdictum prætorium temerario ædificatori hanc pœnam salubriter statuit, ne in præjudicium aliorum nova opera fiant, nisi forsàn eo casu nunciatus elegerit interesse.—2.º Alter effectus nunciationis *verbalis* est, quod accepta remissione et satisfatione, possessio transeat in adversarium, ut antè dictum, ex *l. 5. §. 10. eod.*, quia post remissionem et satisfationem ædificari permittens, fatetur adversarium possidere (*l. 7. §. 2. ff. quod vi, aut clam.*)—3.º Nunciatus, si nolit cautionem recipere de ædificato destruendo, potest et debet jus ac interesse suum probare intra spatium trium mensium (*c. fn. h. t.*), quo tempore si jus suum non probet, adversarius, impetrata remissione, opus novum tutò ædificabit (*l. un. ff. de remission.*)—4.º Dominus soli propria auctoritate in continenti diruere potest quidquid alius in eo edificavit (*l. 27. ff. de S. P. U. l. 3. §. 9. ff. de vi arm.*); tum quia ædificatum in solo, cedit domino soli: tum quia in continenti vim vi repellere licet; at si quis in solo suo ædificet, non licet alteri ædificatum diruere, sed adhibenda est nunciatio, conformiter *l. 5. §. 10. ff. h. t.*: si autem post nunciationem dominus soli ædificari pergat, poterit nunciatus vim vi repellere, et propria auctoritate ædificatum diruere ex *interdicto ff. quod vi, aut clam.*

169. Q. V. *In quibus casibus locum non habeat nunciatio novi operis?*